



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1628. usque ad annum 1634

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1778**

**VD18 90118871**

§. 95. Principum Protestantium responsa ad hunc Cæsaris Sermonem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67394](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67394)

Sæc. XVII.  
A. C. 1630.

## §. XCV.

*Principum Protestantium responsa ad  
hunc Cæsaris sermonem.*

Quantumvis hæc Cæsaris propositio luculenter ipsius animum ad pacem vel maxime propensum testaretur, non deerant tamen ex Protestantibus non pauci, qui Cæsarem editis etiam libellis immerito insimularent, quod motis indies novis difficultatibus pacem tot votis desideratam impedire moliretur, id suadentibus conscientiae suae arbitris P. Guilielmo Lammormanno & Weingartnero Jesuitis: Acerbius adhuc ali ore ac calamo Cæsaris verba in sinistram detorquebant sensum, spargentes, quod jactatum pacis desiderium nil nisi Austriacæ Domus Dominatum præferat, & Principum patientia hactenus exhibita sensim in abjectam servitutem vertatur, armaque in Patriam & Imperium versa peropportuno Bohemici tumultus obtentu honestentur, de cetero autem post Danicam pacem universum Imperium ab hoste quidem vacuum, non tamen a Cæsareo milite, gravissimisque Cæsarei militis exactionibus immune fuisset. Præcipue vero Protestantium nomine Saxoniae Electoris Legatus Comes de Mansfeld

U 3

Sæc. XVII. feld petiit I. ut confirmatis Saxonice  
A. C. 1630. Domus privilegiis, compensatisque  
 sumptibus pro redimenda militum in-  
 vasionem factis, Religionis causa, par-  
 que profana in eo statu relinqueretur,  
 quo ante Bohemicos motus fuisset. II.  
 Augusta Vindelicorum pristino Statu  
 ac libertati restitueretur. III. Cæsa-  
 reæ militiæ Præfecti de exactionibus  
 & pecuniis ab Imperio acceptis ratio-  
 nem redderent. IV. Edictum de re-  
 stituendis bonis Ecclesiasticis declara-  
 retur irritum. V. Legionum Cæsa-  
 rearum, ac Præfectorum numerus im-  
 minueretur. Ad primam & tertiam  
 ex his propositionibus in hisce comitiis  
 remedium esse quærendum respondit  
 Imperator: cum autem ad tuendam  
 edicti executionem tam propria pietas  
 quam causæ justitia Cæsarem impulsi-  
 fet, aliunde vero cum non modo Ecclesia-  
 stici inique spoliati, sed ii potissimum  
 qui Cæsaris pietate ac religione abu-  
 tentes Cæsarem a suo solio, suisque  
 Regnis deturbare moliebantur, allatis  
 gravissimis rationibus Ecclesiarum re-  
 stitutionem, atque exactionem  
 exercitus vehementer urgerent, hinc  
 Cæsar quidem ob inopinam Suecici Re-  
 gis irruptionem militis sui imminutio-  
 nem nunc intempestivam fore causam  
 batur, circa edictum vero haud cur-  
 stantem

etanter declarabat, velle se, ut Passa-  
 vienſis pax exacte ſervaretur; ſe enim  
 utpote ſupremum Judicem obſtringi,  
 ut parti læſæ juſtitiam ſecundum Reli-  
 gioſam pacem adminiſtraret, Catholi-  
 cosque ſuis juribus ſpoliari haud per-  
 mitteret. Nihilominus Pomeraniæ,  
 Haſſiæ, & Wirtenbergi Ducum, ac  
 Suevici Circuli Oratores ceterique Pro-  
 teſtantes libellum ſupplicem Cæſari por-  
 rigebant, in quo de edicti executione,  
 ac belli exactionibus, quibus Prote-  
 ſtantes præ ceteris gravius fuiſſet one-  
 rati, vehementer querebantur: Ad  
 hæc Cæſar Ludovico Friderico Wir-  
 tenbergenſi Duci reſponderi juſſerat,  
 quod legiones ex ejus ditione deductu-  
 rus eſſet, quamprimum Dux factam  
 edicti executionem ratam habuiſſet.  
 Paulo poſt Saxonix Elector Cæſari nun-  
 tiabat, quod Suecix Rex infeſtata Rug-  
 gia Inſula impressionem in Imperium  
 jamjam feciſſet, proin Cæſar belli cala-  
 mitatem prompta pace averteret, edi-  
 ctumque reſtitutionis abrogaret: Ve-  
 rum Ferdinandus Electori reſpondit  
 tam validum ſibi ſuppere exercitum,  
 ut Deo ſecundante, Superioris Saxo-  
 niæ Circulum defendere, armaque ad-  
 verſa retundere valeret, dummodo ipſe  
 Elector & Brandeburgicus arma, &  
 ſumptus conferrent.

U 4

§. XCVI.